

π h
770



R.
28
6



II h
770

DE
GENIO NATALIVM PRAESIDE
COMMENTATIO ANTIQVARIA PRIOR

QVAM
FELICISSIMO

FRIDERICI AVGVSTI

PATRIS PATRIAE SERENISSIMI

N A T A L I I

P R A E S I D E

IOANNE FRIDERICO
HILLERO

ELOQVENTIAE P. P. O. ALVMN. ELECTOR. EPHOR.
ATQVE ORD. PHIL. H. T. DECANO

COLLOQVIO CVM ERVDITIS PVBLICO


DEFENDET

A V C T O R

IOANNES CHRISTIANVS HENRICI

A. M. LYC. VITEB. CORRECT.

AD D. XXIII. DECEMB. CIOCCCLXXXII.



VITEBERGAE, EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.

H.
28
6

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(3A/AL)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO AVGVSTO

DVCI SAXONIAE IVLIAE CLIVIAE AC
MONTIVM ANGARIAE ITEM ET WEST
PHALIAE SACRI ROMANI IMPERII AR
CHIMARESCHALLO ET ELECTORI COMITI
PROVINCIALI THVRINGIAE MARCHIONI
MISNIAE SVPERIORISQVE ET INFERIORIS LV
SATIAE BVRGGRAVIO MAGDEBVRGI COMI
TI PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGAE CO
MITI MARCAE RAVENSBERGAE BARBII ATQVE
HANOVIAE DOMINO RAVENSTEINII CAET.

ELECTORI AC DOMINO

MEO LONGE INDVLGENTISSIMO

HANC
COMMENTATIONEM ACADEMICAM

PIETATIS SVAE FIDEI ATQVE OBSEQVII

PIGNVS

IPSO EIVS DIE NATALI

SVBMISSISSIME

D. D. D.

OMNIA VICTORIA

PRINCEPS ELECTOR
SERENISSIME
DOMINE INDVLGENTISSIME



*i magnus Persarum rex Artaxer-
xes Mnemon non spreuit olim
paullulum aquae, quod homo pauper e Cyro
flumine utraque vola haustum ipsi porrigebat*

muneri, quidni et ego, TVA fretus indulgentia, audeam ingenioli mei primitias in oculorum TVORVM conspectum proferre. Siue enim TVAM in bonis literis earumque cultoribus tuendis et augendis specto liberalitatem, qua ipse etiam Grimae olim, tum in hac Musarum sede nutritus fui munificentissime, siue solemnities considero hujus Diei TVI natalis: huic pietatis meae indicio spes excusationis abs TE impetrandae affulget dulcissima. Pateat ergo huic libello, quodcunque tandem sit munus natalitium, aditus ad amplitudinis TVAE fastigium. Descendas etiam, quaeso, PATER PATRIAE

TRIAE MVNIFICENTISSIME, *ad vota*
mea, quae ego cum praeside meo, TVAE libera-
litati immortalibus meritis deuinctissimo, com-
munibus Saxoniae votis adjungo, ut Deus per
TE toti Domo Augustissimae, omnibusque ciuibus,
qui TE decus ac delictum suum obseruant,
prospera quaeuis semper contingere iubeat.
Cum primis, quae totius patriae est iucundissima
expectatio, Genius natalium praeses Filiae Prin-
cipi Filium socium iungat, Genius autem Sa-
lutis, TE, CONIVGEMQVE, eminentibus
dotibus florentissimam, cum his aulae subsidiis,
ab omnibus temporum injuriis defendat. Quae

vota

vota castissima sicut nullo unquam die inter-
mittam, ita in illustrium virtutum TVARVM
colendarum studio cedam nemini, qui res spesque
meas omnes summo praesidio TVO submitto.

Scribebam XXIII. die Decembr. A. R. S.

MDCCCLXXII.

CELSITVDINI TVAE

DEVOTISSIMVS


IOANNES CHRISTIANVS

HENRICI



§. I.

Origo et propagatio doctrinae de Geniis.

mnes fere priscae antiquitatis populi, ceteris in primis cultiores et intelligentiores sibi visi, maxime tamen, qui a solis orientis collustrabantur luce, eius erant sententiae, vt crederent, multum curae et administrationis rerum humanarum, hominis certe ipsius custodiam singularem a summo numine certis commissam esse Geniis, partim vt ipsum negotiis vacaret, partim pro sapientia miris parceret, partim res creatae intelligentes exercitatione virtutum praemia deportarent. Cuius opinionis, in varios iam tum corruptae errores, primam et veram auctoritatem, nisi velis ex ipsis fontibus sacris et a Iudaeis repetere, propter



similitudinem doctrinae eorum de angelo hominis custode
 cum hoc profanorum placito, grauioribus quodammodo ra-
 tionibus ad Chaldaeos licet referre, Aegyptiorum forte ante-
 signanos. Illum enim antiquissimum quippe populum hanc
 iam fouisse sententiam, eamque ipsam ab illis arcessendam es-
 se demonstrare conatus est Van Dalen in Dissertat. de origi-
 ne et progressu idololatriae, (cap. IV.) et post hunc Brucke-
 rus Hist. phil. (T. I. p. 133.) testimonio vsus Eusebii. Praep.
 evang. (l. IV. c. 5.) Qui vero vir praestantissimus persuasus,
 Eusebium monumentis Chaldaeorum esse vsum non prorsus
 germanis, ideoque nec fide dignis, luculentius horum Dae-
 mones describere, aut hic decernere aliquid, merito non au-
 det. Et sane difficile est in eiusmodi loco ancipiti non er-
 rare ac decipi, cum ipsi veteres dubii hic haerent, in qui-
 bus Plutarchus est de defectu oraculorum (p. 186.) incertus,
 vtrum doctrina de Daemonibus a Magis, an Thracibus, an
 Aegyptiis, an Phrygibus sit arcessenda. Aegyptiorum tamen
 Theologiam multa de Daemonibus praecepisse, e laudato ab
 eodem Bruckero (T. I. p. 295.) loco Diodori Siculi, cui et-
 iam Iamblichus (de Myster. Aeg. Sect. IX.) et Macrobius Sa-
 turn. l. I. p. 269. edit. Gryph.) suffragantur, fit manifestum.
 Per hos siue Chaldaeos, siue potius Aegyptios iam Thaletem,
 Pherecydem et postea Pythagoram sapuisse, qui hoc prae-
 ceptum ad suos transtulerint, nemini erit dubium, qui per-
 pen-



penderit, hos Graeciae philosophos horum populorum sacris et arcanis initiatos tantum praeceptis eorum dedisse, ut non solum omnia propemodum cupide arriperent, sed multa, imo etiam plurima adderent e suo. Quem tandem fugiunt Socratis, discipuli ut quibusdam videtur, Thaletis, cum doctrina de Daemonibus, tum mira ea, quae de Genio gubernatore sibi sociato tradebat, et quis ignorat Platonem, eodem Socrate praeceptore usum, eadem quoque praecepisse, quae facile ex ipsius monumentis aequae peti possunt, atque iis, quae scholae eius addicti reliquerunt, placitis eius mirum in modum amplificatis et prolatis. De Stoicis quoque res extra omnem dubitationis aleam est posita ex iis, quae Plutarchi testimonio in libro de Stoicorum repugnantibus constant, eos nempe ex Deo siue anima mundi omnia Diis repleuisse, originem quoque et ortum eorum inde deriuasse. Quam in rem dilucidiora adhuc sunt verba Senecae, licet interdum nimio sectae suae amore captus, praeter fidem multa iis tribuat, aut fluctuet, qui (epist. 110.) *maiores, ait, Stoicos homines, unicuique nostrum, paedagogum dedisse Deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notae, ex eorum numero, quos Ovidius ait de plebe Deos: Singulis enim aut Genium, aut Iunonem dedisse.* Cum igitur tanti nominis tantaeque auctoritatis philosophis haec doctrina arriperit, quid mirum est, eandem a multis aliis receptam, sensim ita dimanasse,



nasse, vt ad Etruscos quoque propagaretur, quibus teste Illustri Heynio ad Virg. (Aen. V. 94.) postea omnem de Geniis religionem acceptam referrent Romani, Graecorum sapientiae omnino auidi, Pythagora quoque eiusque discipulis Crotone, ab Romanis non adeo remota, eadem professis. Tantum modo de origine et propagatione placitorum de Geniis praetextere fuit visum, dimissis caeteris disciplinis, ab superioribus ductis, nec fore putamus, qui plura testimonia a nobis desideratum eant, cum ea facili labore e Pfannero in Theologia gentili, Huetio in quaestionibus Alnetanis, Cudwortho in Systemate intellectuali, Bruckero, saepius iam laudato, ne de dissertationibus quoque, aliisque a Fabricio in bibliotheca antiquaria laudatis, commemorem Wonnae, Rabeneri Olearii et Messerschmidii, collegae amicissimi, peti possunt. Quibus inter se collatis, quantis in tenebris totus hic locus versetur, facile patebit.

§. II.

Notio Genii ex mente veterum.

Sciscitanti forte, quid intellexerint homines prisca daemones siue genios, Chalcidius occurrat ad Timaeum (p. 227.) qui Daemonem esse dicit: *Animal ratione praeditum, immortale, a perpetiēdo non alienum, aethereum, diligentiam hominibus impertiens.* Quocum consentiens fere est Apu-



Apuleius de Deo Socratis (p. 49. edit. Elmenhorst.) *Daemones*, inquit, *sunt genere animalia, ingenio rationabilia, animo passiva, corpore aëria, tempore aeterna.* Noli mirari Genios ad animalia referri. In Platonis enim schola, quem etiam Aristoteles saepius sequitur, quicquid vivit, seu corpore praeditum, seu eius expers sit, ζῶν dicitur, vnde vel Deus ipse ζῶν ἀθάνατον est in definitione sub finem operum. Aliam notionem Tzetzes suppeditat εἰς αἰ ἀσώματοι, τὰ περὶ γῆν ὄρῶντες, καὶ ὑπὸ γῆν. Quam parum sibi hic constiterint veteres, iam ex his apparet, et magis efficeretur, nisi plura, quae e Bruckero et Cudwortho peti possint, in medium afferre taderet. Temperare tamen mihi non possum, quo minus, ob recentiores de Genio malo controuersias, Semleri, Theologi omnis humanitatis peritissimi, diligentiam laudibus efferam, qua comprobatum dare studuit, Daemones veteribus manes uisos, siue animos post mortem superstites, cum uiuentibus adhuc coniunctos, siue in commodum, siue detrimentum, in disputatione de daemoniacis, quorum in Euangelio fit mentio, et Germano libello, rem copiosius explicante ac defendente. Vix est quod moneam, nos in hoc libello non de Genio exponere malo, quem etiam homini comitem adesse multi putabant veterum, sed de Genio tutelari bono, qui ex veterum mente cuique mari nascenti obtingeret, sicut foeminis Iunonem tribuebant. Seruio enim assentimur, qui ad Virgi-



lii Georg. (l. I. v. 302.) *Genium, inquit, dicebant antiqui natalem Deum vniuscuiusque loci, vel rei, aut hominis. De Iunone testis adfit Plinius, qui H. N. (l. II. c. 7.) conquestus de laboriosa mortalitate, quod Deum coleret quisque, quo maxime indigeret, tandem subiicit: Maior coelitum populus etiam, quam hominum intelligi potest, cum singuli quoque ex semet ipsis totidem Deos faciant, Iunones Geniosque adoptando sibi. Idem fere Seneca: l. c. Ita hoc seponas volo, ut memineris, maiores nostros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuisse; singulis enim Genium, aut Iunonem dederunt.*

§. III.

Genii imago anguis

Forma, qua Genium sibi fingebant, non vna eademque erat, sed varia. Quod testantur cum veterum loci, in quibus mentio huius rei iniicitur, tum monumenta, in quibus imago Genii expressa plurimum ex arbitrio eorum videtur pependisse, qui ea excudenda curarent. In forma anguis effinxisse sibi Genium, maxime quidem locorum Persius innuit Sat. I. v. 113.

Pinge duos angues, sacer est locus.

Consecrati igitur loci indicium erant duo angues, ut ibi Casaubon. ex alio loco Aristoph. in Plut. v. 733. probat, quod ideo eligebatur, quia Genius loci cuiusque diis dicati per anguem

guem plerumque monstrari putabatur. Dilucide hanc rem explicat Isidorus (l. 12. orig. c. 4.) Seruius vero ad (Virg. Aen. l. V. v. 84.) tradit, nullum sine Genio locum esse, qui per an-
guem plerumque ostendatur. Aeneas scilicet cum in eo esset, vt
parenti de se meritissimo parentaret, inopinato e sepulcri patrii
latibulo ingentis magnitudinis erumpebat serpens, epulasque
arae impositas degustabat, tandemque sine vlla noxa reuerte-
batur in tumulum, vnde omen futurae felicitatis prosperum
Aeneas capiebat. Incertus vero hic heros erat

— *Geniumne loci, famulumne parentis*

Esse putet.

Quodsi hic serpens Genium modo loci indicasset, mini-
me dubius haerere Aeneas potuisset, sine forte famulus, seu
Genius parentis. Quare Heynius, Gottingensis academiae
splendidum lumen, laude mea longe excellentius, plane ad
rem meam accommodate, ibi sic commentatur: *Genios siue
locorum, siue hominum, tota antiquitas, imprimis Etrusci
et Romani, per serpentes exhibuerunt; non vna, puto, de
caussa. Plurium enim rerum symbolum ac nota habi-
tus est serpens, vt τὸ ἐγχώριον, vitam, immortalitatem cet.
innueret.* Idem ad vers. 94. famulum parentis dictum esse
accurate putat pro Genio Anchisae. Genios enim, addit, mi-
nisterium praestare, quatenus genitos suscipiant, tueantur, iis
adsint perpetui comites ac custodes. Vtinam ad manus fuif-

B

fer



set laudata ibi dissertatio Passerii de Genio domestico T. III. Musei Etrusci, plura enim forte in rem meam conuertere ex ea potuissim. His quoque multum roboris accedit monumento veteri a Montefalcone allato T. II. praestantissimi operis l'Antiquité expliquée, quod serpentem exhibet cum inscriptione: GENIO AVGVSTORVM. Nulla sane aptior effigies vigoris semper renascentis angue, Aesculapii ideo atque Hygeae, praesidium rectae valetudinis, comite. Eadem animans quanta prudentia cauet nocitura, salubria sectatur, ad omnes elabendi vias expedita. Quid ad Genii florem ac munera administranda accommodatius. Plura desiderantibus Spanhemius satisfaciet de vsu et praestantia numism. (Dissert. III. p. 216. sqq.)

§. III.

Imago Genii, forma humana.

Cum tam mira sit omnino veterum in ipsa notione vocis Genii obseruanda inconstantia, vt saepe numero vel purissimae latinitatis scriptores ac poetae modo Lares, et Penates, modo Deos Manes defuncti, ac Lemures voce Genii insigniant, (vide Wonnae Dissert. l. c. II. et III.) ideoque operam atque oleum perdidisse censendus, si molesto hoc labore, singulos veterum locos collectos ad lapidem lydium referendi atque examinandi, me supersedere non posse putem: nemini
quo-

quoque mirum videbitur, eandem esse varietatem in monumentis artis atque operibus eruditae antiquitatis. Quo nomine in diiudicandis imaginibus, ad similitudinem aliquam Geniorum accedentibus, quas gemmae, lapides ac numi crebro exhibent, summa cautione opus esse censeo, nec quicquam, nisi re satis accurateque ponderata, statuendum, ne similitudine aliqua statim deceptus, praecipitati iudicii reus fias. Geniumque vendites, qui nullus sit, ne forte idem tibi accidat, quod aliis, qui ubique fere sub pueri alati figura Cupidinem seu Amorem reperisse sibi videbantur, Mortem, aut fratrem ipsius Somnum, pro Amore amplexi. Quod ipsum praecclare iam monuit Montefaleo, qui (Tom. I. p. 180.) probat, Cupidines saepe, ratione formae habita, nihil differre a Geniis iunioribus. Tomo vero II (p. 316.) *Genii, inquit, Larès et Penates alii pro aliis facile accipiuntur. Genii nomen his omnibus commune est,* quod hic non modo ex inscriptionibus pluribus probat, praesertim Manes defunctorum Geniorum nomine appellari, sed etiam T. I. Supplement. (p. 207.) novis roborat argumentis. Ex iis igitur operibus artis vetustae ad nostram memoriam translatis, quae certi aliquid exhibent, tantum in professio est, Genium plerumque hominis induere figuram, quia veteres humana pulchritudine, quaequid in rebus omnibus habebatur pulchrum, metiebantur, ipsosque Deos hanc in formam mutabant. Varia tamen haec est,



pro varia eius aetate, cuius custos esse putabatur Genius. Modo enim pueri, modo iuuenis, et, si Montefalconi fides, (T. I. p. 318.) barbati viri, senis quoque interdum, prae se ferebat imaginem. Puerili aetate Genii saepe apparent aequae ac iuuenili. Illam conspicies saepe numero, ut T. I. Suppl. (p. 209.) laudati operis, ubi puerulus est, altera manu cornu copiae tenens, altera pateram, arboris trunco innixus, pallioque leuiter vestitus, ne partes aduersae tegantur. Eiusmodi pueri alis quoque non raro instructi sunt, sed tum a Cupidinibus, nisi luculentiores adsint notae, vix discerni possunt. Saepius in monumentis visuntur sepulcralibus, facibus maxime instructi, modo ardentibus, modo extinctis, vel erectis, vel ad terram depressis. Caue tamen hos Genios statim existimes. E loco enim Ammiani Marcellini (l. XXI. c. 14.) et Plutarchi de Rom. fortuna, allatis a Wonna (Dissert. III, 11. §. 7.) abunde liquet, Genium hominis viui ante mortem eius plerumque iam discedere. Quare in his diiudicandis obseruanda sunt praecepta, magnam partem egregia, a Lessingio tradita in elegantissima disquisitione: *Wie die Alten den Tod gebildet*. Hanc vero, iuuenis puto imaginem, in promptu ponit T. II. (p. 318. sqq.) ubi in numo Genium habes Neronis iuuenem, ad aram ardentem e patera sacrificium offerentem, cum cornu copiae in altera manu, quod frequenter Geniorum videtur fuisse symbolum, sicut numi, vel in vulgaribus libris obuii testantur,

tur,

tur, maxime tamen aliud elegantissimum marmor ibidem expressum. Vides nempe hic Genium iuuenem, eumque nudum, cum cornu copiae fructibus et spicis onusto, altera manu baculo nistum. Mulier ante illum stans Lyda esse videtur, quae monumentum posuit cum titulo:

GENIO FAGNENE LYDA

Winckelmanno tamen teste, in der Geschichte der Kunst p. 159. longis interuallis cetera monumenta superat Genius iuuenis alatus, qui in villa Borghesiana Romae seruatur, abfolutissimum pulchritudinis humanae exemplum, omniumque gratiarum et venerum comitatu quasi stipatum ab artifice, male tamen expressum in Montefalcone (T. I. Tab. 115 n. 6.)

Nec sine ratione Taffinus in libro de veterum Romanorum anno seculari (c. 13.) ad formam Genii iuuenilem pertinere putat locum Tibulli (El. II, II. 5.) Audiamus ipsum:

Ipse suos Genius adfit visurus honores,

Cui decorent sanctas molliaserta comas.

Illius puro destillent tempora nardo:

Atque satur libo sit, madeatque mero.

Vtinam Montefalco, vel solo hoc opere suo, saepius laudato, iam immortalis, pluribus probatum iuisset, Genium hominum et viri barbati, et senis effigie ab artificibus effectum esse. Genium populi Romani viri barbati speciem referre



iam constabat ex Ortelii capitibus Deorum (Fig. XXXVIII.) cui similem exhibet numum idem Montefalco (T. I. p. 318.) qui tamen in sequentibus neque monumentum affert, neque ex auctore aliquo locum. Quare omnis erat spes sita in Gyraldo, ad quem me ablegabat Taffinus l. c. destituta vero illa, ipso consulto (Histor. Deor. Synt. XV.) Vnus, quantum equidem memini, extat locus Cebetis (c. III.) Ὁ γέρον, δ' ἄνω ἐσηκῶς, ἔχων χάριτιν τινὰ ἐν τῇ χειρὶ, καὶ τῇ ἐτέρεα ὡσπερ δεικνύων τι, οὗτος Δαίμων καλεῖται. *Senex, qui desuper stat, chartam tenens quandam in manu, et altera quasi monstrans quiddam, is Genius vocatur.* De Genio quoque malo, horrenda senis specie Cassio obuiam facto, locus est Val. Max. (l. I. c. 7.)

Iunonis natalis imaginem fuisse virginis, palla vestitae colli solet ex Tibulli (l. IV. El. VI. 14.)

Admne, purpureaque veni pellucida palla

Ter tibi fit libo, ter, Dea casta, mero

Pallam vero Deorum, Dearumque fuisse amiculum Heynius et Broukhufius multa diligentia ex locis ibi allatis probarunt, sicut formam eius rei vestitariae scriptores in Thesauro Graetiano (T. VI.) describunt. Apud eos tamen, qui monumenta ante oculos nobis ponunt, quamuis sedulus, nihil deprehendi, quod satisfaceret, aut loco Tibulli esset acommo-
datum. Tituli quidem Iunonis mulierum nomen, plurimum
prae-

praecipue numero, exhibentes apud Gruterum in Corpore inscriptionum (p. 25.) extant multi, sed monumenta ipsi defiderantur, ita saltem comparata, ut exinde nihil fiat manifestum. Quae enim in Sponii Miscellaneis eruditae antiquitatis (p. 150.) aeri incisa conspicitur statua, cuius in basi legitur: IVNONI IVLIAE TORQVATAE — SACERDOTEI VEI STALI non tam Iunohem, quam Iuliam potius ipsam, quae habitu sacrificantium, velo capiti obducto, nodoque sub collo revincto, ignem perpetuum manu gestat, videtur in conspectum proferre.

§. V. *Causae cultus Genii die natali.*

Nunc indagandae mihi causae videntur, quibus potissimum motae gentes olim natali die Genium veneratae fuerint. Has in lucem proferunt varia officia, huic Deo tutelari tributa, quorum larga messis ab veriusque linguae auctoribus nobis suppeditatur. Hominem enim ipsum generandum, fignillatim animum cum corpore coniungendum curabat. Illud disertis verbis firmat Censorinus de die natali, qui vel nomen eum inde forte sortitum esse putat, quod, ut genamur, caret, et hinc in carminibus Orphicis Hymn. in Daem. eum dici puto.

Παγγενέτην Βιοδώτορα Ξητηῶν.

Quod



Quod vero ad alterum munus attinet, e Iamblichō apparet de Myſter. (Sect. IX. c. 16.) vbi συνδέν αὐτὸν τὴν εἰς σώμα κατιῶσαν ψυχὴν πρὸς τὸ σῶμα cenſet. Hinc quoque ortum illud exiſtimo, quod in nuptiis, lecto geniali ſtrato, Genius inuocabatur, qua de re Arnobius aduerſus Gentes (l. II.) *cum in matrimonia conuenitis, toga ſternitis lectulos, et maritorum Genios aduocatis,* (vid. Turneb. Aduerſ. p. 393. et Meſſerſchmidius de lecto geniali.) Abſoluto hoc generationis munere, ſtatim alia ſequebantur eaque multa, quorum non vltimum erat obſeruandi homines, et regendi omnes vitæ eius actus, a primis inde incunabulis. Sic enim Menander apud Euſebium de Praep. Euang. (l. XIII. c. 13.)

Ἀπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίſταται

Εὐθύς γενομένῳ, μυξαγωγὸς τῆ βίῃ

Ammianus quoque Marcellinus (l. XXI. c. 14.) Theologos ſtauiſſe refert, in lucem editis hominibus cunctis, velut actus reſtura numina ſociari, quod dilucidius Cenſorinus exponit (c. III.) *Genius ita nobis aſſiduus obſeruator appoſitus eſt, ut ne punctum quidem temporis abſcedat, ſed ab utero matris exceptos, ad extremum vitæ diem comitetur.* Stoici contendebant, eſſe Daemones ἀνθρώπων συμπαρίſταν ἔχοντα, ἐπόπτασ τῶν ἀνθρώπων πραγμάτων teſte Laertio (l. VII. c. 29.) quippe qui rebus humanis afficiantur, in eaſque inſpiciant. Quo nomine Genius ab Epicteto in Diſfert.

houo



fert. Arrian. (I. 14.) ἐπίτροπος et δαίμων γενέθλιος, a Pindaro Olymp. (od. 13.) vocatur, sicut a Proclo ad Hesiodum Φυλακεὺς ἀνθρώπους γένους. Seruatae quoque vitae beneficium ipsi acceptum refertur ab Hetoemocoro Alciphronis (I. III. VII.) et apud eundem (I. I. 20.) in numero est eorum, qui μοιραγέται δαίμονες vocantur, de quibus Berglerus ibi consulendus est. Omnia haec Genii officia in lance quasi satura exhibet Apuleius de Deo Socr. pag. 51. *Custos singularis, praefectus, domesticus speculator, indiuiduus arbiter, inseparabilis testis, malorum improbator, bonorum probator. In rebus incertis prospēctator, dubiis praemonitor, periculosis viator, egenis opitulatur: qui tibi queat tum somniis, tum signis, tum etiam fortasse coram, cum usus postulat, mala auertere, bona prosperare, humilia sublimare, nutantia fulcire, obscura clarare sidera aduersa corrigere.* Vide quantum debeat Apuleius Platoni, cuius descriptio Daemonum, in Epinom. (p. 702) subministrata, digna est, quae hic apponatur. Sic enim Academicorum princeps differit: Μετὰ δὲ τούτους, καὶ ὑπὸ τέτοις ἐξῆς, δαίμονας ἀέριον δὲ γένος, ἔχων ἕδραν τρίτην καὶ μέσην, τῆς ἐρημνείας αἴτιον, εὐχαῶς τιμῶν μάλιστα χρεῶν, χάριτι τῆς εὐφύμις διαφορείας. τῶν δὲ δύο τούτων ζώων, τὸ τ' ἐξ αἰθέρος, ἐφεξῆς τε ἀέρος, ἢ διορώμενον ὄλον, αὐτῶν ἐκείτερον εἶναι παρὸν δὴ πλησίον, ἢ κατὰ δῆλον ἡμῖν γίγνεσθαι μετέχοντα δὲ Φρονήσεως θαυμαστῆς, ὅτε γένους

C

γένους



γένους ὄντα εὐμαθοῦς τε καὶ μνήμονος, γινώσκων μὲν ξύμπα-
σαν τὴν ἡμετέραν αὐτὰ δεινόων λεγόμεν. καὶ τὸν τε καλὸν
ἡμῶν καὶ ἀγαθὸν ἅμα θαυμασῶς ἀσπάζεσθαι, καὶ τὸν σφόδρα
κακὸν μισεῖν, ὅτε λύπης μετέχουτα ἦδη. *Deinceps vero sub
his (Diis maximis) Daemones, genus aëreum, in tertia
mediaque regione collocati, qui interpretationis causa sunt.
Eos igitur nos precibus votisque honorare utique debemus,
ut bonis verbis intercedant. Genus horum animalium du-
plex est, alterum ex aethere, ex aëre alterum. Neutrum
conspici omnino potest: Sed quamvis prope nos sint Dae-
mones, nunquam tamen manifesto nobis apparent. Pru-
dentiae mirabilis participes sunt: acuto quippe ingenio,
tenacique memoria praediti; imo cogitationes nostras
omnes cognoscunt. Honestos bonosque homines mirifice di-
ligunt, improbos vero vehementer oderunt, utpote qui do-
loris sunt participes.* Sidera regendi vim in superiori A-
puleii loco memoratam Horatius quoque ipsi adscripsit (Epist.
II, 2. 187.)

Scit genius, natale comes qui temperat astrum.
Graecorum hac de re effata plura collegit Rabenerus Dissert.
(II. §. 15.) Nolo iam plura hic congerere in re satis manifesta,
quod ex his iam liquet, cur Genio potissimum per omnem
aetatem quotannis natali die sacrificarint veteres, quae sunt
ipsa Censorini verba (c. 3. l. c.) nec fuit visum pluribus mo-
nere

nerē, iisdem de causis dixisse *Genium Deum suum*, sicut Iu-
nonem *Deam suam*.

§. VI.

Sacrificium Genio oblatum.

Quamquam Romani quacunque occasione Genio suo,
et saepe nimis indulgere solebant; in sacrificiis tamen natali
die ipsi celebratis id minus reperies. Diu hic pristina ob-
tinuit sacrorum simplicitas et frugalitas, nec ara Genii san-
guine cruentabatur, ut in aliis Deorum fiebat sacris, sumtu-
osis illis quidem ac splendidis, quae superstitiosa hominum
sedulitate sensim inualuerunt, ad luxum atque ostentationem
magis comparata, quam verae pietatis indicia. Praestabat
in his modeste religiosum esse, mola nempe salsa, fitilla, li-
bo, thure, mero, floribus. Molae salsae, a virginibus Vesta-
libus conficiendae, modum Seruius (ad Virg. Eclog. VIII,
83.) nobis seruauit, qui etiam refert ex Numae instituto nul-
lum sine ea sacrificium fieri debere. Quod de Genii sacrifi-
cio firmat Calpurnius (Eclog. V. v. 25.)

— *Tu cespite uiuo*
Pone focum, Geniumque loci, Faunumque, Laremque
Salso farre voca.

Luculentius vero de Genio hominis Maecenas, apud Sene-
cam (Epist. 114.) de parcum hominem describens: *Genium*



festo vix suo testem, tenuis cerei fila, et crepacem molam, focum mater aut vxor inuestiunt. Pultis fitillae mentionem fecit Plinius (Hist. Nat. XVIII. 8.) *Et hodie sacra prisca atque natalium pulte fitilla conficiuntur.* Quae vero haec fuerit, ignorare nos noluit Harduinus ad h. l. sed in tanta varietate lectionis locorum paulo cautius tractandus, quod B. Gesnerus monet in Thes. lat. linguae sub hac voce. Arnobii modo loci hic aliquid lucis affundunt, nempe (l. VII. p. 230.) vbi ridicula ethnicorum sacrificia et vanas ceremonias risit, sic pergit: *Quid fitilla, quid frumen, quid africa — ex quibus duo, quae prima, sunt pultium nomina, sed genere et qualitate diuersa.* Alter vero (l. II. p. 58.) *Ipsè qui infertur cibus sit vnus atque idem semper — aut fitilla de milio, aut sit panis ex farre.*

Libum quoque seu placentam illam de farre, melle, oleo, oblatam fuisse notus vincit Tibulli locus (II. el. II. 8.)

— *Satur libo sit madeatque mero:*

collatis multis aliis, a Broukhufio hic congestis. De mero Genio libato ex loco eodem iam constat, sicut e Persii Satira (II. 3.) *Funde merum Genio.* Flores Horatius addit (Epist. II, I. v. 43.)

*Tellurem porco, Siliuanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium.*

De

De coronis e floribus confectis vnguentisque, quibus perfundebatur Genius, indicasse sufficiet locum Tibulli (l. II. El. VIII, 51.)

*Illius e nitido stillent vnguenta capillo,
Et capite et collo mollia ferta gerat.*

His in vnguentis amomum Diis fuisse gratissimum, iterum disces e Broukhufio ad h. l. Huiusmodi enim odoramaenta a sacris nunquam aberant, ne odor ille grauis e sacrificiis crematis adstantes offenderet, sed tolleretur, aut tolerari, saltem posset. Inde tam frequens turis mentio, cum in aliis, tum in Genii sacrificiis. Postulat hoc Ovidius (Trist. l. V. el. II.)

Da mihi tura puer,
et Tibullus (II. el. II, 3)

Vrantur pia tura focis, urantur odores.
Sacra haec Iunoni non minus, quam Genio oblata fuisse idem Tibullus claris verbis canit (l. IV el. VI)

Natalis Iuno, sanctos cape turis honores,
paulloque post (v. 14)

Ter tibi fit libo, ter, Dea casta, mero.

Nulla ergo hostia cruenta Diis natalium praesidibus factum fuisse ex locis his sumi posse videtur, quibus etiam accedit testimonium Censorini (C. III.) qui e Varronis libro, ATTICVS inscripto, haec affert: *Id moris institutique maiores nostri tenuerunt, vt, cum die natali munus annale Ge-*



nio soluerent, manum a caede et sanguine abstinerent, ne die,
qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent. Denique De-
li, ad Apollinis genitoris aram, ut Timaeus auctor est,
nemo hostiam caedit. Hinc, Mineruae saltem natali, ne fas
quidem erat gladiatores componere. Cuius rei testem excito
Ouidium Fastor (III, v. 811.)

*Sanguine prima vacat: nec fas concurrere ferro,
Causa, quod est illa nata Minerva die.*

Repugnare his videtur vulgatus Horatii locus (l. III. od. 17. v. 14.)

— *Cras Genium mero
Curabis, et porco bimestri.*

Sed recte Casaubonus ad Persium (Sat. II, 3.) monet, male
hunc locum explicari, et huc referri, cui etiam assentit S. V.
Koernerus de Natalitiis Rom. priv. (§. IV) doctissime docens,
non de priuato Lamiae natali hic agi, sed potius de festis,
amoenisque brumae diebus, feriisque genio, h. e. mensae et
hilaritati institutis. Quoties enim hilarius et lautius se
excipiebant, toties Genium se placare veteres autumabant,
inde quoque loquendi formulae *Genium placare*, *Genium
defraudare*. Temporis tamen ratio hic multum mutauit.
Nam Iuuenalis (Sat. XI. v. 83.) natalitii lardi meminit, quod ex
porco, Genio immolato, apponebatur conuiuiis.

*Moris erat quondam festis seruare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum.*

Hora-

Horatius ipse Phyllidem ad Maecenatis natalem inuitans, (l. IV od XI. 6) canit: *inquit mihi hoc obnox, julium te canis*

— *ara castis*

Vincta verbenis auct immolato

Spargier agno

Fidem quoque rei facit Statius qui (l. II. Syluar. v. 197) in Genethliaco Lucani iubet, natali eius

Sient altaria, victimaeque centum.

Calculum tandem addunt, cum titulus in Grutero (p. 119) qui diserte tradit, natali Neronis Genio ipsius taurum a collegio quodam fuisse immolatum, tum Lampridius in Alexandro Seuero (c. 13) *Cum, inquit, eius natalem aruspices commendarent, dixerant eum summam rerum tenturum, id circo, quod hostiae de ea villa, quae esset Seueri Imperatoris, adductae essent, et quas in illius honorem coloni parassent.* Ibidem (c. 60) in omnibus mortis Imperatoris hoc fuit: *Cum natalem diem commendaret, hostia cruenta effugit — albamque eius vestem cruentauit.*

Neque vero silentio praetereundum est, horum sacrificiorum solemnia gemmae insculpta exhiberi in Lipperti, senis eruditione meritisque de re literata venerabilis, Dactyliothea (Mill. I. n. 953. p. 326) qui tamen ipse quodammodo anceps haeret. Multa etiam de natalium solemnitate differuit Illustris de BÜNAV in elegantissima Disputatione de si-

pe



pe pro salute Augusti, habita sub praesidio Bodeni, bonis literis et mihi, proh dolor! iam erepti.

Nunc vero pedem hic figere cogor, temporis angustiis ex muneris laboribus interclusus, iterum in hunc campum excursurus propediem.



ULB Halle

004 564 111




3

Handwritten marks: a checkmark and the number 86.







II h
770

DE
GENIO NATALIVM PRAESIDE
COMMENTATIO ANTIQVARIA PRIOR

QVAM
FELICISSIMO

FRIDERICI AVGVSTI

PATRIS PATRIAE SERENISSIMI

N A T A L I I

P R A E S I D E

IOANNE FRIDERICO
HILLERO

ELOQVENTIAE P. P. O. ALVMN. ELECTOR. EPHOR.
ATQVE ORD. PHIL. H. T. DECANO



COLLOQVIO CVM ERVDITIS PVBLICO

DEFENDET


A V C T O R

IOANNES CHRISTIANVS HENRICI

A. M. LYC. VITEB. CORRECT.



AD D. XXIII. DECEMB. CI^oCCCLXXXII.



VITEBERGAE, EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.